

nis VIRGINES atque MATRONAS sororio alphabeti nexu citra  
 πρῶτον οὐδὲ τις πρᾶξιν connectendas progredimur, ut, quæ  
 gentilitia aut extantiora sua nomina à prima literarum ordi-  
 untur, primum quoque locum suo quasi jure occupent;

A.

*Cornelia* ADRICHOMIA, *Batava*, carminibus mysticis ac  
 variâ eruditione illustris virgo. *Petrus Opmeer* (7c) Illam nulli ve-  
 terum Poetarum cecisse dicit. *Epitaphium*, quod Ipsa excogita-  
 vit, hoc est:

*Corpus humo, superis animam CORNELIA condo,*

*Pulverulenta caro vermibus esca datur.*

*Non lacrymas non singultus tristesve querelas,*

*Sed Christo oblatas jam precor umbra preces.*

AGAMEDA, quam tot medicamenta scivisse, quot lata ter-  
 ra produxit, scribit *Homerus* (7d).

ALGASIA in extremis Galliarum finibus habitavit, &  
 quæstionês quædam religiosas Bethlehemum transmissas *Hie-  
 ronymo* explicandas proposuit (7e).

ALPAIDES Virgo cum religionem magno cultu comple-  
 cteretur, cælitus obtinuit Scripturæ S. sensum percipere (7f).  
 Deinceps *Pipino* nupsit & *Carolus Marcellus* progeniit.

AMALASUNTHA, *Theodorici* Filia, Græcè Latineque per-  
 docta, ut & plurimarum aliarum linguarum perita. Ex *Eurhari-  
 co Cilligâ*, *Attharici* Gothorum Regis mater, quæ cum Filio per  
 VIII. annos imperavit, & mortuo Filio, *Theodatum* cognatum in  
 consortem imperii legit. Verum ingratus hic ac perfidus Eam  
 paulo post relegavit, tandem etiam obruncari jusfit (7g).

ANASTASIA nobilis fœmina Romana, *Publio* nupta. tan-  
 tum ex Martyris *Chrysoconi*, Romani studiosi institutis atq; præ-  
 ceptis didicit, ut ab ingenuis artibus & Christianâ pietate instru-  
 cta S. Scripturam dexterrimè exponeret, literas in solatium &  
 fidem Martyrum vincitorum crebriores exararet. Post *Chryso-  
 conum*

(7c) *Decad. i. lib. X. de Martyr. pag. 76.* (7d) *lib. II. Iliad.* (7e) *Vid.*  
*Centuriator. Cent. IV. c. X. pag. 778.* (7f) *Vid. Balduvius in Catal. cit.*  
*pag. 9.* (7g) *Vid. Casiodorus lib. X. Ep. 2. 3. 4. lib. XI. Ep. 13.*